

De anima capite 4. asserit:<sup>39</sup> *Quando aliquid excellens intelligibile intelligit, non minus intelligit inferiora, verum etiam magis.* Nequiret album videre et corpus, in quo esset, duas res esse inter se differentes, ob idque putavit stulte omnia entia unum ens esse. Cum tamen cognovisset, quod Aristoteles libro 2. De generatione, capite 3. scribit:<sup>40</sup> *Alii statim duo facientes, sicut Parmenides ignem et terram intermedia mixtiones faciunt horum, veluti aerem et aquam.* Quique (ut est libro 2. De partibus animalium capite 2.) assereret, aquatilia animalia terrestribus esse calidiora: et exanguia praeditis sanguine et foeminas maribus et mulieres viris calidiores: magna duorum capitum contentione, tamquam caecus ac omni et sensu et mente vacuus oppugnatur.

Sed nimirum id est, quod a principio diximus, Aristotelem suos libros primo quodam ingenii ardore (quod omnibus scriptoribus accidit) conscripsisse, non tamen (morte praeventus) recognovisse. Qui libri si ab eo recogniti fuissent, non dubito, quin omnes (quae maior scriptorum suorum pars est) in veteres calumnias sustulisset aliasque contradictiones, quibus passim scatent, emendasset. Nec vero illud est praetereundum minime verum esse Parmenidem duo principia: calidum et frigidum, seu (uti Aristoteles interpretatur) ignem et terram statuisset. Sed

<sup>39</sup> ὅταν τι νοήσῃ σφόδρα νοητόν, οὐχ ἦττον νοεῖ τὰ ὑποδεέστερα, ἀλλὰ καὶ μᾶλλον. [ARIST. de An. 429b.3–4]

<sup>40</sup> οἱ δ' εὐθὺς δύο ποιοῦντες, ὥσπερ Παρμενίδης πῦρ καὶ γῆν, τὰ μεταξὺ μίγματα ποιοῦσι τούτων, οἷον ἀέρα καὶ ὕδωρ. [ARIST. G C. 330b.13–15]